MEMORABILIS

CONFLA GRATIO TEMPLI

Diuæ Mariæ Antuerpień. heroico versu velut ob oculos posita.

Authore Cornelio Grapheo.

Quisquis es, hæc legito, horrendo sic omnia uersu
Ardent, ut coram cernere cuncta putes.

ANNO. M. D. XXXIIII.

Annus huius Conflagrationis literis capitalibus comprehensus.

MAxima ab exiguo sunt sæpe incendia casu,
Comprobat Andouerpæi hoc teterrima templi
Clades, octobri quæ facta est mense, migranti
Cum nox iam medium faceret caligine cursum,
L. Vrsu- *Cum nonarum isset lux tertia, magnus erat tum*
lus *Cum socero consul, populiq;, urbisq; magister,*
G. Lyra *Vrsulus ille, animo excelso usque ad sydera notus,*
Vulcanus primum Gommari inuaserat aram,
Vnam illam Turri quæ proxima scilicet, inde
Vi multa elapsus summi ad fastigia tecti
Vssit atrox quæcunq; sibi facta obuia, densi
Vndique erant ignes, fumi, stridorq;, fragorq;,
Infandiq; æstus, stragesque, grauesque ruinæ,
Intactam tamen à peste hac, turrimq;, chorumq;
Ille, Iouis iussu, flamma cedente, reliquit.

CLARISS. SENATVI fortunatiſſimæ vrbis Antuerpieñ. Cornelius Scribonius Grapheus, S. P. D.

QVàm ſit uera Horatiana illa ſententia, VIRI CLARISS. *Multos quidem ante Agamemnona uixiſſe fortes, ſed eoſdem urgeri longa obliuionis nocte, nimirum quia carent Vate ſacro, qui egregia illorum facta ſacris ſcriptis illuſtrauerit: nemini non manifeſtum eſſe arbitror. Conſiderate* Romanos *rerum dominos, Græcos, Caldæos, Perſas, Aſſyrios, Pœnos, Ægyptios, cæteroſq; id genus nationum populos, uiros pariter ac mulieres, quanta cũ gloria in omnium ore etiamnum adhuc uelut uiuunt. Vnde uero iſtuc? Quia non defuere qui illorum & res & præclara geſta æternis inſerentes chartis, obliuionis tenebris eriperent. Contra autem perpendite quot ſiue* Heroes *æterna quidem fama digniſſimi, ſiue res perquam egregie geſtæ, prorſus iam ignoratæ, ſine ulla notitia, ſine fama, ſine honore, iaceant, lateant, nuſquã appareant, nuſquam audiantur.* Et *ne multis alienis agamus exemplis, uideamus* Belgicas *iſtas noſtras regiones, ciuitates, uicos, oppida, caſtella. Quis condidit? quo tempore eſſe cœperunt? nemo eſt qui mihi dicat, niſi forte occinat neſcio quas, è puerorum (ut opinor) colloquijs ortas fabellas.* Age *uero quemnam for-*

tunatissimæ huius nostræ ANTVERPIÆ *authorem ἀληθῶς ostendere possimus? quinam olim in ea magistratum gesserint? imperitauerint? aliquid præclari fecerint? plane non uideo. Ecqui hoc? non fuere (barbaro nimirum sæculo) qui hæc immortalibus literis memoriæ proderent ac posteritati cognoscēda traderent. Conflagratū est iamdudum pulcherrimū illud, atq; adeo toti Europæ, celeberrimum, huius urbis templum. Ea quoq; res, perinde atq; cæteræ omnes, nisi literarum monimentis ad posteros feratur, post paucul os aliquot annos ferè ex hominum memoria exciderit, ac tandem penitus sepulta iacuerit. Quod ut ne unquā fiat, nos pro uirili alacriter occurrimus. Eam siquidem conflagrationem, cum sit pro rei indignitate memoratu dignissima, heroico uersu ita descripsimus, ita depinximus, ita ob legentium oculos posuimus, ut qui præsens uiderit dicat se rursum uidere, qui uero absens nequaquam spectauerit, arbitretur se oīa præsentibus oculis coram spectare. Quem nostrum laborem, cum æternæ memoriæ, tum ingenij tētandi gratia, pro pio nostro erga hanc rempub. affectu, ultrò assumptum, si uobis non ingratum fuisse intelligam, adnitar sedulo, ut ad immortalem huius reipub. gloriam plausibiliora deinceps ædamus. Porrò qualis qualis hic noster sit labor, æqui boniq; consulere uelitis oro, Valete Mœcenates optimi.*

Antuerpiæ Calend. Martijs, Anno à Christo nato. M. D. XXXIIII.

CELEBERRIMI TEMPLI DIVAE Mariæ Antuerpieñ Conflagratio, per Cornelium Grapheum.

MIrè inopinato uis ut uulcania casu
Andouerpæi delubri inuaserit arcem, Andouerpa
Quantaq; flammarum uiolentia, quanta ruina,
Quæ templi ardentis facies, quam tristis imago,
Et quanto fuerit Turris seruata labore,
Illa Europæo Turris celeberrima mundo,
Musarum impulsu, atque urgentis numine Phœbi
Adducti canimus, uenturo & pandimus æuo.
Ausculta huc agedum Lector, res est noua, res est
Horrenda: At talis quam te haud legisse pigebit.
Tu uero inprimis sancte & uenerande Senatus, Senatus Antuerp.
Præclara hæc cuius floret respublica ductu,
Tuq; Senatorum princeps, populiq; magister
Vrsule, quo dira hæc grassata est Consule pestis,
Et qui tristi hoc in casu pars magna fuisti, L. Vrsulus.
Hæc legite, hæc uestræ Pietati inscribimus, huius
Vt facti æternam monimenta insignia famam

Posteritas olim uestro sub nomine seruet,
Tristia sunt fateor, post non nisi læta canemus,
Si fauor adspiret Vati, & uestra æqua uoluntas,
Vos autem Aonides, (nil uos latet, omnia nostis,
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ olim uentura trahuntur)
Dicite, (nanq; latet,) tam tristis dicite causam
Incendi, & sæua fuerit quæ occasio flammæ.

IAm pluerat multis grauiter sine fine diebus,
Omnia erant passim plenis undantia ripis,
Subter aquas merso latitabant prata uirore,
Interiere herbæ, campi immaduere frequenti
Alluuie, syluæ inclinato uertice lassas
Demisere comas, Largo dumeta madore
Stillabant, uolucres imbri cessere, latebras
Quæsiuere feræ, Pecudes armentaq; dulci
Omisso pastu, stabula ad consueta querclis
Venerunt grauibus, Toto Neptunnius humor
Aëre regnabat, pluuiis dominantibus, Austro
Euroq; & Zephyro, Arctooq; Aquilone uicissim
Nimbos & densas glomerantibus undiq; nubeis,
Nil siccum, nil aridum erat, madida omnia, nusquam
Vulcanus *Vulcano locus, aut requies, urgentibus illum*
Vndiq; aquis, furit horrendum, assuetosq; caminos,
Fornaceisq; atras, fabriliaq; arma relinquens
Huc fugit atq; illuc, denso simul aëre septus
Occultat sese infœlix, latitatq;, timetq;,

Nusquam ausus proferre caput, Iamq; improba pastu
Deficiente fames miserum grauiter premit, Ergo
Ipse modum supra esuriens, uacuamq; aegramq;
Exhalans iam penè animam, tenuem undiq; uictum
Perquirit rabidus, neq; enim (mirum id) sitit unquam
Aut bibit ille Deus, nisi forte aut pinguis oliui,
Aut picis incensae, aut saeui, resinaeq; liquorem.
Postquam autē innumeros uicosq; urbeisq; pererrās
Perfugium nullum, nulla usquam alimenta, cibumq;
Vllum inuenisset, tandem furibundus, & amens
Ad tua praecipiti cursu Andouerpa tetendit
Moenia, sublimesq; domos, populumq; frequentem,
Cuncta ibi tuta ratus. sed non tuta omnia, Magnus
Fossisq; & puteis, & largo flumine Scaldis
Obstabat, Vigilumq; acris custodia, noctu
Quae simul atq; die illum oculis obseruat acutis.

Est urbe in media moles uastißima, templum Templi descriptio
Augustum, sublime, alta usque ad sydera ductum,
Coelicolum Dominae sacrum, toti undique mundo
Percelebre, immensis opulentum dotibus, auro,
Argento, gemmis, aere, omnigenoq; metallo,
Structura, statuis, sumptu, multa arte stupendis
Picturis, tabulis, narianti & marmore, mire
Conspicuum, Turris cui multo altissima surgens
Astrigerum aurato contingit uertice coelum,
Arte laborata insigni, tralucida, crebris

A fundo ad summum docte cælata fenestris,
Tota quidem uiuo (res pulchra) è marmore ducta,
Spectaculum insigne, & Patriæ ingens gloria, toti
(Tanta est maiestas) late spectabilis orbi.
Septem & quinquaginta alta hic altaria fumant
Quottidie, & totidem multo haud sine lumine fiunt
Sacra Deo, totidem conductis rite ministris,
Qui adsistant aræ, & Diuis libamina ponant.
Pompa sacerdotum illa ingens ingente coborte
Vix numeranda, Deûm cultus, funalia ad aras
Infinita, hominum strepitus, exercitus ingens
Cantorum, & totis resonans sacra Musica tectis
Mortaleis animos, oculosque, aureisq́; stupendis
Ad sese usque modis, aliquo ceu numine raptant,
Attonitosque hominum sensus, & pectora reddunt.
Huc sese ignipotens densa sub nocte reducens
Vulcanus, socijs Sterope, atq́; Pyragmone, & atro
Bronte, & prænigro multa fuligine Capno,
Circuit immensi tacitus latera ardua templi,
Omnia perlustrat, rimatur singula, & acri
Obseruat uisu, sibi tanta in mole uel ullam
Se inuenturum optans æscam, Videt omnia tuta,
Oppressos somno uigiles, Omni hoste remoto
Nusquã esse insidias, Tanta illũ occasio, & atrox
Esuries facit audacem, hortatusque cupitam
Ad prædam socios, furtim introrumpit, & altæ
Contiguam turri confestim corripit aram,

Indigetis Gommari aram,primumque uoraci Incendij initium.
Fauce rapit pinguem cærato stipite tædam,
Quæ tum forte illic sacrorum adstabat ad usus,
Liciaque immani depascit gutture,deinde
Cortinas,Diuûmque petit simulachra, piumq;
Impius accendit Gommarum,ac deijcit ipsam
Cum statuis aram indignans, Tum deinde per altū
Subsiliens claudus murum,latamque fenestram,
Ardua peruadit tectorum ad culmina,dira
Voce uocans socios sua quenq; ad munera, Multam
Materiam esse cibo, Nullū hostē qui arceat, Ipsum
Se iam uictorē,se absumpturū omnia, Capnos
Continuo horribilem fumorum turbidus undam
Conglomerans, late obducit caligine cœlum,
Noctem addens nocti, Plenæ clarissima Lunæ
Lumina,sub densis subito enigruere tenebris,
Ablatæ stellæ,Totum sub nube profunda
Fumorum latuit templum,Vastissima nusquam
Apparet turris,Subitis sic omnia Capnos
Inuoluit tenebris, Steropes,tumidusq; Pyragmon
Igniuomo horribiles uultu,laquearibus altis
Correptis,medio in fumo atra incendia miscent,
Inclusi tectis, & adhuc furtim omnia cæcis
Patrantes flammis, Clamoso murmure Brontes
Horrendum intra tecta fremens,immaniter altum
Stridorem ingeminat,cœlo acta tonitrua dicas.

Quo strepitu exciti Vigiles, excitus & omnis
Vicinus, tristi properant occurrere casu,
Extemplo æra sonant alta pendentia turri,
Et liquidum crebro pertundunt aëra pulsu,
Mugituque graui toto clangentia cœlo
Motu improuiso circum late omnia complent,

Discurrunt ciues, ingens turbatio, dirusq;
Vndiq; fit clamor, uarie trepidatur, ubiq;
Atrox terror, ubiq; grauis tota urbe tumultus,
Flent matres, mussantq; senes, sibi quisq; pericli
Instantis metuens casum, è penetralibus effert
Quidquid habet rerum, & tuta in statione recondit,
Quo putat infestam non posse accedere flammam

Hæc turba, hæc rerum facies, hæc tristis imago
cōparatio *Tam horrendi casus, alia est haud uisa profecto*
Quàm si improuisi, superatis mœnibus hostes
Siue Scythæ, siue immites gens Barbara Turcæ
Vndique, perfractis infuso milite portis
Totam urbem inuadant, multa iam nocte soporo
Oppressam somno, & nil quidquam tale timentem,

Iamq; ferox tectis erumpit flamma, tenebras
Inter fumorum medias, ingensq; reluxit
Impete prærapido, improuisi fulminis instar
Primum ergo effractis longa testudine ualuis

Portas

Portarum, eripiunt alij sacra uasa, sacrosq;
Ex adytis calices, alij simulachra, piasq;
Cœlicolum effigies, diuinaq; arte decoras
Exportant tabulas, argentum, aurumq;, omnemq;
Tam pulchri ornatum templi, quem quisque pericl o
Tam urgenti grauiter, potuit subducere, Porro
Hinc alij admotis ad tecta ardentia scalis
Conantur longis nixi harpagonibus arsas
Et tegulas & semusto laquearia ligno
Deijcere, infusis alij restinguere flammas
Adnituntur aquis. sed quo magis ac magis atræ
Obsistunt pesti, certe hoc magis ac magis illa
Aucta incrudescit, magis irritatus aquai
Obijce Vulcanus, latrans sæuitq;, furitq;
Acrius, & late effusus per tecta uagatur,
Contemnens & aquas, & quæq; obstacula rerum,
Qualis ubi undisonis turgescens fluctibus, alto cõparatio
Ventorum flatu sublatus ad æthera magnus
Oceanus, plæno rutilat dum Cynthia cornu,
Vndarum immensam uicina ad littora molem
Conuoluit præceps. stans contra obnititur agger
Obiectus late, ter amaras reppulit undas
Aggeris oppositi dorsum, ter transilijt uis
Oceani, & tandem grauiter fracto aggere, uictor
Ille introrumpit spumans, atq; omnia inundat.

Interea

Interea ipse alto diffusus membra sopore
Dum iaceo, & uariis horrenda insomnia formis
Ante oculos ludunt, & nil uideor nisi diras
Flammasq;, ardoremq; grauem, accensosq; caminos
Cernere, & urgenti miserum me inuadier igne,
Ecce ingens clamorq; uirûm, clangorq; sonantum
Campanarum ingens, ingens fragor undique, & illuc
Atq; huc discurrens trepido uicinia motu,
Excutiunt somnum attonito mihi, Surgo, Cubili
Exilio, Conscendo domum, clausasq; fenestras
Pando celer, Video late incandescere cœlum
Et tremulum ambiguas lumen fulgere per umbras,
Sed uicinarum obiectu impediente domorum
Haud potui accensam turbatus cernere flammam,
Descendo, atq; (ut eram nudus) uestē induo, præceps
Egredior, Quæro insueti quæ causa tumultus,
Qui motus rerum, quæ sint incendia, quoque
Illa loco flagrent, Omnes uno ore fremebant
Ardere augustam Mariani Numinis ædem,
Vulcanum furere, & summa dominarier arce
Delubri, ruere ægregii monimenta laboris,
Prosterni immensam per sæua incendia molem,
Fortiter obsisti, Turrim defendier acri
Conatu, Præfectum urbis, trepidumq; Senatum
L. Vrsulus. (Vrsulon inprimis) hortari, instare, labori
Nusquam deesse, animos conantū accendere magnis
Promissis, urbi magnam impendere ruinam,

Hoc

Hoc mihi credibile haud uisum est, ipse ilicet ergo
Accingor, contendo illuc, cursuq; citato
Peruenio tandem quo dira incendia, quo me
Concursus populi, & nouitas horrenda uocabat.

Ecce autem arrectis cœli usq; ad sydera flammis,
Nil nisi terribiles fumis undantibus ignes
Cernere erat, cunctis ignes ualuisque fenestrisq;,
Atq; foraminibus (rapido ceu flumine) uasto
Impete, stridore horrisono, fremituq; fragoso
Sese effundebant passim, Cœlum omne coruscus
Ardor erat, Vitreus tremulo sub lumine Scaldis Scaldis
Fulgebat late, fugitq; exterritus, imo
Se condens fluuio, Pisces petiere profundas
Vndarum latebras, Liquidum per inane uolutæ
Scintillæ, ignitiq; globi, cineresque, facesque
Flammantes, totum late impleuere micantem
Aëra, Dixisses prorsum omnia sydera, & ipsas
E cœlo labi stellas, Velut agmine denso cõparatio
Cum ruit in terras, crepitatq; per ardua grando
Tecta sonans, Aut cum scythico nix plurima flatu Alia
Acta, operit cœlum, & late dispersa per auras
Immensum uolitans glomerat toto æthere nymbum,
Talem pictores turba ingeniosa, nefando Alia
Pentapolin, Luxu pereuntem, Cœlitus igni
Demisso pingunt, Lotho fugiente propinquos
Cum prole ad monteis, Tali uulcania motu Alia

Aetna

Ætna furens, procul ætherias iaculatur ad auras
Sulphureos cineres, liquefactaq; fragmina montis
Igniuomi, atq; alte flammas eiectat ab imo
Eruptas fundo, tollitq; sub astra fauillas
Displosas late, Trepidat Trinacria, dirum
Exitium metuit Catana, atq; ingente timore
Acta, fugit, pauidam linquens cum mœnibus urbem;
Declinatq; instans ruituro è monte periclum,

Volucres Aëriæ uolucres solitæ sub turribus altis,
Aut tectis habitare, æstu fumoque coactæ,
Dulcibus expulsæ nidis, noctisq; quiete,
Per medias trepidæ flammas, ignisq; uolantis
Horrendas pluuias, aliæ fugere citatis
Huc illuc pennis, aliæ (dum incendia uitant)
Ambustis alis miserando ex æthere lapsu
Precipites cecidere, insanis ignibus æsca.

Vidi ego (namq; licet manifesto lumine Vati
Cernere cœlestum mysteria sacra Deorum,
Quæ certe haud cuiuis fas est spectare profano)
Vidi inquam his oculis, stantem pro culmine templi
Vulcanum igniuomũ, & uulcania Numina, Capnon
Brontenq;, Steropenq;, acremq; Pyragmona, fratres
Ætnæos, Quis se magno adiunxere tumultu
Absolos ille niger, niger & Gnophos ille, rubenti
Cum Phlogmo Causon, uælox cum Causone Prester
Stridulus & Brigmos, buccasq; inflatus Aëtes,

Gongys

Gongyſmoſq; altum profundens gutture murmur,
Nudi omnes, omnes immani corpore, ſupra
Menſuram humanam excelſi, alto uertice, & ore
Æquantes uaſtos immania monſtra gigantas,
Quales aërie tangentes ſydera quercus, cōparatio
Aut rigidæ ſummis ſtantes in montibus orni,
Namq; ut peruenere alti ad faſtigia tecti, Phyſica ratio
Momento in tam monſtrificas (mirabile) formas.
Creuere, Et notam ſubito exceſſere figuram,
Tam facile in uarios mutant ſe Numina uultus,
Ignitos conſpexi omneis, & corpore toto.
Candentis ferri aut ambuſti ſtipitis inſtar
Ardenteis totos, patulis è naribus ignem,
Ignem oculis, ignem aure utraq;, ignē ore uomētes.
Quales inferno pinguntur carcere clauſæ cōparatio
Damnatorum animæ, & combuſtis uultibus ardent,
Terribiliq; horrent flammantia membra rubore,

Stabat Vulcanus uiſu intollerabilis, atra Vulcani phyſica deſcriptio
Monſtroſus ſpecie, fabrûm de more capillos
Et faciem craſſa tinctus fuligine, multum
Deformi incuruus gibbo, cui diſpare crurum
Ordine (Lemniaco ex lapſu) pes claudicat alter,
Cui tumidæ fauces, cui naſus ſeſquipedali
Protenſus ductu, latis cui naribus horrent
Introrſum ardentes igni ſaliente cauernæ,
Argolico ſimiles clypeo ſub fronte minaci.

Scintil-

Scintillant oculi, uasto panduntur hiatu
Ora instar clibani, aßidue esurientia, semper
Immensa insatiata fame, Nam quo magis ille
Ignis natura Pascitur, atq; auidam quo plus demergit in aluum,
Hoc magis atq; magis rabies illum urget edendi,
Talis uisa mihi Vulcani ardentis imago.

Isti omnes uno grassantes impete, summis
Viribus instabant totum uastare, leueisq;
Congerere in cineres templum, Hi magno conatu
Adnixi, tecta alta, Illi nullo ordine deorsum
Tignaq;, procerasque trabes, laqueariaq; altis
Pulsa locis (nulli res non miseranda) ruebant,
Hi tegulas strepitu horrisono, tabulataq; forti
Deiecere manu, & tepidas sparsere per auras,
Illi autem omniuorus quo nondum accesserat ignis
Diriter iniectis fœdabant omnia flammis,
Ducebantq; nouos fumos, tenebrasque recenteis,
Atq; nouas (igni nouiter gliscente) ruinas,

Flãmarũ impetus Tũ tignis tigna acta uolant procul, Ignea tũ uis
Dira trabeis trabibus cumulatim mole immensa
Inter se grauiter cogit concurrere, Saxis
Saxa illisa crepant, Tecta alto è culmine tectis
Decidua incumbunt, Tegulæ inuoluuntur atroci
Impulsu tegulis, reciduntq; immaniter alta
Congerie in terram, Crudescunt ignibus ignes,

Flam

Flammæ urgent flammas, condenso turbine fumi
Impediunt fumos, Æstus superatur ab æstu,
Stridor stridorem, strepitus cum murmure longo
Confundit strepitum, Iam intus sacra omnia diris
Vastantur flammis, Ardent altaria passim,
Conflagrant sacræ uestes, sacræq; piorum
Relliquiæ Diuûm, cortinæ, æraria, nummis
Consumptis penitus, Passim simulachra, piæq;
Diuorum effigies pereunt, uultuq; præusto
Et toto indigne flagrante heu corpore, fœdo
Procumbunt lapsu, Tabulæ & multa arte decorus
Pictorum labor ille auido consumitur igni,
Aurati passim pia circum altaria postes
Sternuntur, Nitidæ templi decora alta columnæ
Diri æstus feruore crepant, crustæq; minutim
Concisæ, (ut fragilis glacies, ut futile uitrum)
Dissiliunt late, Trabium lapsu inclyta patrum
Et populi monimenta, sepulturæq; superbæ
Finduntur grauiter, conuulsa cadauera nudis
Ossibus erumpunt bustis, subitoq; cremantur
Fulmine lapsantis flammæ, Pulcherrima pulchro Organa
Illa ex argento pulchre fabricata, superbo
Concentu, & uario multum celebrata sonore
Organa liquantur, guttisq; ingentibus ipsam
In terram disiecta fluunt, & murmure tristi
Tristem efflant animam, Musis lachrimantibus, atq;
Longius huc illuc propere fugientibus atram

b Vulca

Vulcani instantis rabiem, Vastissimus ille,
Ille gigantæo præcelsus corpore, centum
Plus minus (horrendum uisu) protensus in ulnas,
Cosmophorus, cui uox olim est mutata ferendo
A puero Christo, hinc flammis uallatus & illinc,
Adstanti populo horrendum ac miserabile uisu
Spectaclum præbet, totis incendia membris
Sæua micant, ardet pectus, prolixaq; barba,
Magna ardet facies, ardent multo igne capilli,
Brachiaq;, ingentesq; manus, atq; ardua crura,
Aluusq;, clunesq;, immaniaq; ilia, & illa
Ingens in manibus pinus, simul & mare uastis
Quod calcat pedibus, passuque ingente fatigat,
Vna cum nautis, & cunctis piscibus ardet,
Ardet & infœlix Monachus cum lampade, paruam
Dum fugit in cellam, notumque recurrit ad antrum,
Et tandem Ille graui subsidens corpore, magno
Cum sonitu cadit, & medios turbatur in igneis
cōparatio *Vt quondam Rhodius prægrandi mole Colossus*
Corruit, & latos concussit pondere campos,
Alia *Persimilis magno Titanum è gente Typhæo,*
Qui Iouis ætherio prostratus fulmine, totam
Obruit Inarimen, toto pro corpore fumans,
Atq; cauo undantem profundens gutture flammam,
Vna illa è tantis uix est seruata periclis,
Stellantis Regina poli, quæ nomina magno
Dat templo, cui ingente patrum populiq; fauore

Solen

Solenni ritu celebrantur festa quotannis,
Atq; humeris hominum gestatur celsa per urbem,
Multo auro argentoq; nitens, gemmisq; decora.

Iam prorsum exustis, penitusq; à cardine uulsis
Portarum ualuis, & cuncto limine fracto,
Apparet templum intus, & atria longa patescunt,
Haud aliter quàm si candentem forte caminum cõparatio
Per noctem intueare procul, uel sicubi magno
Terra tremore patens amplo se pandat hiatu,
Ostendatq; inter tenebras immane barathrum,
Infernas sedeis, nigri palatia Ditis,
Tum cernas stygium longe lateq; per antrum
Vndiq; auernales grauiter perterritus igneis.
Tanto igitur rerum lapsu, tanta undiq; strage
Terra tremit, mugit cœlum, reboatq; cauernis
Iam uacua illa ædes, nutat circum omnia, tanquam
Cum tonitru immensus ruat alto à culmine olympus, Simile
Ducens ignitam crebro cum fulmine nubem.

Aëriam interea tempestas maxima Turrim Turris fl-
Oppugnat, surgunt certamina maxima, toruus mis opp-
Mulciber huc totam extrema ui contrahit iram, gnata.
Huc totas acies, huc omnia dirigit arma,
Ætnæasque ciens horrenda in bella phalanges,
Ordine disponit turmas, lectosque maniplos
Auxilioq; uocat Riphæos turbidus Euros.

Illi adſunt, unaq; ruunt in prælia, Dira
Fit pugna, Inuadunt hoſtem, Hunc ante omnia late
Aggere fumorum cingunt, ualloq; coërcent
Obſeſſum, Aſſiduo tundunt latera ardua pulſu
Flammarum, obſtantem crebro adnixi ariete murum
Vellere conantur, tonitruq; ingente fatigant,
Tæla ignita uolant, iaculis ardentibus altæ
Scintillant nubes, æſtu circunſonat æther.
Illa grauem obiecta excipiens tæla omnia dorſo,
Suſtentat pugnam, & duro ſub marte laborans
Difficili obnixu, tanto in certamine ſudat.

L. Vrſulus
Hic plane ingenuam uirtutem, animumq; uirilem
Ille Deûm cura, & patriæ pietatis alumnus
Vrſulus oſtendit, cupiens ſeruare potenti
Iam propè deuictam bello, obſidione moleſta
Acriter afflictam, & ſummo (ſors dura) periclo
Ægre obſiſtentem, diſcurrit, conuocat illos
Atq; hos, inſtigatq; uiros, rogat, obſecrat, inſtat
Admonitu crebro, proponit præmia, quemq;
Nomine compellans, cunctantes increpat ore,
Collaudat promptos, ſudat clamore, pioque
Pectore ſolicitus nil non facit, æſtuat, ardet,
Vndiq; primus adeſt, & adeſt poſtremus ubique,
Nec dubitat tantis caput obiectare periclis.

Comparatio.
More ducis magni cuiuſquam, gnauiter omni
Qui cura, (reliquis paſſim ſtertentibus,) alta

Sub nocte inuigilans, obseruat cuncta, simulq́;
Per castra intentus mandat quid cuique gerendum.

Vt populus tanto uidet in discrimine magnum
Vrsulon instare, & sese obiectare periclis,
(Quid non conficiat præsentia sancta magistri?) *
Magno animo accedunt, certant conscēdere turrim,
Spectari cupiunt, cupiunt promissa mereri
Præmia, & æternum factis adquirere nomen.
Tercenteni adsunt interrita pectora, fortes
Immota uirtute uiri, instaurantq́; cruenta
Prælia, conflictuq́; nouo noua bella laceßunt,
Opponunt hosti imprimis magno aggere magnam
Vndarum molem, è puteis & fontibus actam,
Expediunt clypeos, neptūniaq́; arma profusis
Humida aquis, iaciunt rorantia tæla fluentes
Vndarum nymbos, udo stillante madore
Tormenta excutiunt inimica in castra, rescindunt
Oppositos uallos flammarum, atque aggeris ignei
Immaneis cumulos, arma armis, robore robur,
Vim ui propellunt, & forti marte retundunt
Hostileis animos, Magno dux Telius ausu
Dædaleam ante alios bene doctus Telius artem,
Æternam meruit tanto in certamine laudem,
Primus in adgressu belli, ac postremus ubiq́;.
Ipse pater mediis his turbis Ennosigæus Neptunus.
Auxilio accitus, precibusq́; ad dura uocatus

Prælia,terribilem Vulcani in castra timorem
Inijcit,inuadit trepidos præstrennuus hostis,
Perrumpit cuneos,aciem prosternit,atrocem
Dat stragem,furit immensum,& sine more per omne
Impetum agit uulgus,solum in certamine sæuum
Vulcanum insequitur,tandem illi in pectore magnum
Dat uulnus,quo ipse accepto,tam immaniter ore
Præpatulo exclamat stridens,ut longius auras
Per cœlum,& totam grauiter pauefecerit urbem,

Vulcanus à Neptunno vulneratus.

Saucius,& tanto Neptunni exterritus ausu
Obuertit tergum,& tandem obsidione relicta
Castra mouet,fugiens,fugienti turbidus instat
Neptunnus,magnum quatiens immane tridentem.

Telius & socij palantem fortibus hostem
Insectati animis, cædemq; & uulnera late
A tergo ingeminant,profligant longius omnem
Mulciberi populum,certatim hostilia castra
Diripiunt,spoliantq; auidi,prædaq; potiti
Insperata,alacrem referunt ex hoste triumphum,
Tanta incredibilem peperit uictoria laudem.

Vulcanus à Neptunno victus.

Ille latens,turpiq; fuga iam inglorius,altam
Qui dudum æquabat sublimi corpore turrim,
Nunc mole exigua cuiquam uix uisilis,atris
Se condit tenebris,atque aëre tectus opaco
Sub nigros abijt cineres,tetramque fauillam.

Ceu duo cum magno inter se molimine tauri cõparatio
Confligunt, atroxq; ineunt per mutua bellum
Vulnera, & effuso tingunt lata arua cruore,
Inque uicem alterutrum collatis cornibus urgent,
Tandem alter longo uictus certamine, cedit
Victori, & campo egressus rapitur procul altam
In syluam, atque aliquo timidus sese occulit antro,
Et multum indignans fortunam incusat iniquam.
Sic igitur summo turris seruata labore
Euasit flammas, & saeua incendia, ductu
Vrsule magne tuo, Quod ni tua maxima sancta L. Vrsulus
Hortatu Pietas, & uere heroica uirtus
Fecisset, nunc illa solo prostrata iaceret,
Heu urbi aegregiae graue & intolerabile damnum.
Est templi in dorso exigua non mole tribunal, Chorus seruatus
Siue chorum mauis uocitare, adytumue, profano
Haud uulgo, at sacris templi Diuûmq; ministris
Duntaxat locus addictus, perpulchra ubi longo
Ordine uisuntur centena sedilia supra
Bis dena, & circum ampla relligione sacella,
Araeque, & uario Diuûm simulachra decore,
Id quoq; seruatum est, saeuisque immune remansit
A flammis, Namq; ille Deûm pater, atq; hominum rex
Vulcanum uetuit procedere longius, Ille
Contraxit subito flammam, cessitque Tonantis
Imperio, nihil ultra ausus contingere quidquam.

Andægauum

Inde petit Gallos Andægauaꝗ; longe
Mœnia festinans, illic pasturus edacem
Ingluuiem, atq; auidam nunquam satiabilis aluum.

Templi exusti aspectus

Ergo ut cessauere ignes, fumusque recessit,
Iamq; diem Phœbus mortalibus attulit almam,
Apparent late uulcania damna, ruinæ
Aspectu horrificæ & rerum confusus aceruus,
Carbonum cumuli, cinerum montes, trabium ingens
Congeries, trabe trabs illisa, effracta, nigrore
Horrida, tetro exæsa igni, mare puluereum, atro
Commixtum fumo, conuulsæ funditus aræ,
Sparsa columnarum fragmenta, ipsæq; columnæ
Vndique concisæ, densa nigredine muri
Fœdati latè, paries pulchro undique cultu
Absumpto uacuus, nusquam Diuûm ulla relicta
Effigies, uitreæ ter mille in frusta fenestræ
Diruptæ, immisso cœlo lato ore patentes,
Omne pauimentum, uarioq; asarota decore
Conspicua in parteis fœde discerpta, superbi
Sarcophagi trabium lapsu atq; urgente tumultu
Flammarum misere diffissi, dira uorago
Vndique, & immanes rupta tellure lacunæ,
Tamq; olim augustum, atq; orbi spectabile phanum
Nil nisi deserta, & uacuis spelunca cauernis,
Spectaclum infandum, & uisu teterrima clades.

Quanta

Quanta autem istius fuerit uiolentia flammæ,
Maxima id ostendunt uastis hærentia muris
Ferramenta, æstus feruore, & pondere rerum
Incuruata, infracta, & ui concussa petenti,
Quæ uix ulla aliàs potuissent flectier arte,
Huc etiam accedit, quod nos conspeximus istis
His oculis, quod multa hominum quoq; milia mecum
Videre, attonito stupefacti pectore, nempe
Vasta mole trabes, delubri è culmine lapsæ
Perque pauimenta, & præduro marmore crassos
Sarcophages acta, stabant septem amplius ulnis
Alta defixæ in terra, (res horrida uisu,)
Fumantes late, & combusto stipite nigræ,

Flammarum longe per cœlum noctis in umbra
Est uisus fulgor, latis regionibus illum
Videre & Flandri, attoniti & uidere Brabanti,
Mirati quid portendat, quid denique monstri
Adferat ardenti fusum toto æthere lumen,
Inclyta ut excelsa uigilans prospexit ab arce
Insolitū hunc ignem, & rutilam Mechlinia flammā, Mechlinia
Inclyta ciuili præstans Mechlinia cultu,
(Quanquam absit passum duodenis millibus,) ultro
Per noctem & tacitæ tenebrosa silentia lunæ
Mittit equo celerem, qui causam exploret, ut autem
Auditum est, templum incensum, subito acta dolore
Haud secus ingemuit, quam si hæc mala fata, grauēq;

Ærumnam hanc, uulnusq; istuc, etiam ipsa tulisset,
Nec mora, ubi lux alma data est, solemq; reduxit
Orta dies, lectos Proceres, fandiq; peritos
Ipsa uiros miserans ad mœstam destinat urbem,
Adflictam casu qui consolentur acerbo,
Scilicet haud aliter ueteri Andouerpan amore
Illa amat, atque soror charam dilecta sororem.

Tempus conflagrationis
HÆc memoranda quidē sunt facta incēdia, mēse
Octobri, latiis dum iret lux tertia nonis,
Nocte ferè media, primo mortalia somno
Corpora dum gratam capiunt defessa quietem:

Luna in tauro
Candida tum pleno turgebat Cinthia uultu,
Spectans ætherij radiantia cornua tauri,
Tum multum optato Messiæ à principis ortu
Supra quingentos ierat millesimus annus,
Triginta atque tribus iunctis æstatibus, Ille

Carol. V.
Ter fortunatus, princeps ter maximus ille,
Augustus Cæsar, quintus tum Carolus orbem
Hunc Europæum, Hesperiamq;, Arctonq;, potenti
Imperio, & multa regnans ditione tenebat,
Quo nimirum anno uastanteis omnia Turchas
Ille animo inuicto & præsenti numine fretus
Pannoniæ è campis subito terrore fugauit,
Quanquam illi in numero superarent milite nostros,
Mirandum, & cunctis factum memorabile sæclis.

Illo ipso hoc anno, & mẽse (id quis credat?) eodẽ Templũ Andega.
Exustum est simili per acerba incendia casu
Andegauæum moles pulcherrima templum,
Mauricii sacro dictum de nomine templum,
Quo nihil in tota uel magnificentius usquam
Gallia erat, sed iam in cineres tenuemque fauillam
Conuersum iacet, & congesto puluere fumat.
Ceu coniuratis sic uno in tempore flammis
Mulciber ille uorax duo maxima fana profanat,
Sacrilegoq; Deûm sedes contaminat igni,
Impius haud quaquam distinguens sacra profanis,
Quin & Sarmaticis procul in regionibus, aiunt,
Non modo delubra alta Deûm, sed funditus omnem
Arsisse illustrem Dantisci nomine Culmam,
Dantisci quem Musa uirum, quem Phœbus Apollo Dantiscus poeta, episcopus Culmeñ.
Barbarie in media celebrem fecere poëtam,
Hinc uero Liparen, ætnæaq; regna petentem
Mulciberum Venetos adiisse, & gurgite in alto
Ab trepidos nautas flamma inuasisse rapaci,
Et stationem illam, toto quæ maxima mundo Nauale Venetũ.
Dicitur, horribili (scelus) incendisse tumultu,
Ne quicquam magni sese opponente Tonantis
Fratre Deo, æquoreis regnum qui poßidet undis,
Vt taceam interea quæ paßim fecerit ille,
Nunc uicos, nunc rura petens, nunc urbibus errans,
Vt non in uanum toties ardere minacem
(Dii faxint ut ne miseros grauiora sequantur)

Viderimus cœlo stellam, quæ crine comanti
Terribilíq; horrens cauda, mortalia terret
Pectora, & attonitum diro omine concutit orbem.

Commonitio. *Sunt, sunt hæc certe indubia argumenta furoris*
Diuini, & iustam testantur Numinis iram,
Quam nos ob culpas & noxia facta meremur
Quottidie, æternas digni dependere pœnas,
Ast ira hæc, ast ille furor diuinus, iniquis
Antidotum uitiis sunt, & medicamina nostris,
Quandoquidem ille Pater, qui prouidus omnia iusta
Dispensat trutina, quos ut sua pignora sancto
Diligit adfectu, tenui castigat eosdem
Censura, æternis ne castigare flagellis
Cogatur sonteis, æterna piacula paruis
Commutans pœnis, sicq; ad uirtutis amorem
Inuitet tardos animos, & inertia corda,
Mortaleis miserans casus, sortemq; malignam.

HÆc cecini, insignis ut ne res dignissima fama
Olim uenturo forte ignoretur in æuo,
Cantanti accinuit coniux Ariadna marito,
Dum glomerat fusos, & ducit stamina lino,
Tum circum adstantes dulces tria pignora nati,
Paruus Alexander, simul & Baptista, tenella
Et Maria, illorum perchara sororcula, blando
Blanda oculo, attenta auscultantes aure, Parenti
Applau

Applausere alacres, Musæ applausere Poëtæ,
Et Graphea ardenteis imitantem uersibus ignes
Mirata est fœlix, haud tristi Antuerpia uultu,
Arridens uati: prorsum omnem oblita dolorem,
Quem dudum ex casu mœrens conceperat atro,
Ipsa breui has rerum pulchre sartura ruinas,
Ipsa potest etenim, bene fortunantibus astris,
Magno & Mercurio, & magna cum Doride, magno
Nereo, ab extremo portantibus orbe per æquor
Omnigenas & opes, & rerum amplissima dona,
Excipiente alacri uenientia numina Scalde,
Scaldigenis blande occurrentibus undiq; nymphis.

DE NOMINE FLO rentissimæ vrbis Antuerp.

Antuerpia loquitur.

Longa super nostrũ est uulgo altercatio nomen,
Vnde uocer, quis me hoc condideritq; loco, Antuerpia
Nunc etenim assueto uocitant me Antuerpian usu,
Andouerpam ætas nominat illa prior. Andouerpa
Sunt qui me Aduersam, sunt qui me grãmate dempto Aduersa
Auersam scribant: sicq; ego πετράνομος Auersa
Hic uaria est ratio, uaria est hic causa quaterni
Nominis, ille suam sustinet, ille suam,
Quippe iste à manuum iactu me Hantuerpian audet
Dicere, sed certe hoc nil nisi fabula iners.

Ille, quod aduersum Scaldæi ad fluminis amnem
Consisto, Aduersæ nomen inesse putat.
Vnde autē Andouerpa olim, unde Auersa quibusdā
Iam uocer, est nondum cognita causa mihi,
Hinc satius quinto uocitabor nomine tandem
Adiecta, id nomen Dij posuere mihi.
Sed quinam queris? genitor Neptunnus, & ille
Quem peperit summo Maia adamata Ioui.
Namq; olim solo dum stabam in littore castrum,
Atq; paludosa terra tremebat humo.
Conspexere locum, blandis dum forte uagantur
Scaldis aquis, placuit Diis situs ipse loci.
Nulla mora, ædificant adiectis mœnibus urbem,
Fortuna arrisit numine læta suo.
Vrbs crescit, mihi mox amplo altera mœnia ductu
Adiiciunt, cresco mox magis atque magis.
Tum Dii cernentes faustam successibus urbem,
Adiecta *Adiectæ nomen imposuere mihi,*
Scilicet adiecturi olim quoq; tertia nobis
Mœnia, promissis est mihi certa fides.
Hoc mihi namq; Deûm Interpres promisit, & ore
Sacro pollicitis iussit habere fidem.
Atque ait, auspiciis en te fœlicibus auctam
Condidimus, iam audi fata futura tibi,
Magna es, magna tibi succedet copia rerum,
Maior eris, rerum copia maior erit,
Crescito in inmensum tu quondam augebere nostro
Numine, tu terra magna eris atq; mari.

Te pro

Te procul Hesperiæ gentes, te Solis ab ortu
  India adorabit, te Africa terra colet.
Te ter fœlicem totus mirabitur orbis
  Vndiq;, tu patriæ spes eris, atque decus.
Sed tibi liuor edax aliquando infestior, istum
  Successum cupiet impediisse dolo.
Verum age, nil metuas, hanc muscam despice, semper
  Tecum erimus, contra numina quis ualeat?
Te sors æqua manet, tecum omne habitabit in æuum
  Fortuna, & pleno Copia larga sinu,
Mercibus ipse adero assiduis, Neptunnus amicis
  Fortunabit aquis, prospera semper eris,
Hæc Deus. Euentu cesserunt omnia fausto
  Hactenus, euentu lætor & ipsa bono,
Recte ideo Adiectam Dii me dixere uocantes,
  Conueniunt etenim nomina, resque mihi.
Esto autem, sint hæc planè mendacia, Diui
  Me non condiderint, nomina non dederint,
Nomen ab adiectu tamen est, uernacula monstrat
  Hoc lingua, & quadrant nomina, resque simul.
Quocunq; ergo modo me tandem nominet usus,
  Adiectam melius lingua latina uocet.
Sic à traiectu Traiectum utrumq; uocamus,
  Nempe ibi quod rapidos traiicimus fluuios.

Ex officina Ioan. Graphei Anno. 1534.